BENEDICTO XIV.
PONT. OPT. MAX.
CARMINA
FRANCISCI LELLI.

ROMÆ
Ex Typographia Bernabò, & Lazzarini, MDCCXLVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.
F. M. Archiepiscopus Tharsi Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

AUCTOR
SUO LIBELLO.

EPIGRAMMA I.

Perge, mei interpres animi fidissime, perge,
Scande Quirinales, parve libelle, gradus,

Aulamque ingressus devotâ, ac supplice fronte
Te prosterne Sacros PRINCIPIS ante pedes.

Sis licèt ore rudis, cultuque, habituque, nec ullus
Te decor, aut frontis gratia nobilitet,

Parvaque sint quamvis, quæ defers, munera, grato
Te vultu PRINCEPS optimus excipiet;

Munere nàm quovis major, non munera spectat,
Sed cor donantis spectat, & obsequium.

BENEDICTUS XIV.

PONTIFEX ELIGITUR.

EPIGRAMMA II.

Te ſpectet, quicumque negat, dubitatve, creari
Afflante æterno Numine PONTIFICES.

Poſtquàm CLEMENTEM rapuit mors invida terris,
Quamquàm orbes renovet ſeptima Luna ſuos.

Sciſſus adhùc Patrum pro Succeſſore creando,
Votorum æquali parte, Senatus erat,

Quin ſpes eſſet adhùc reparandi publica damna,
Reddendique novi PRINCIPIS Imperio.

Aſt oculos in TE vix intendere, repente,
Et quaſi momento temporis eligeris.

Tàm citò diſtractas ſtudia in contraria mentes
Flectere quis potuit, reddere & unanimes?

I nunc, inſipiens, &, ſi potes, adſtrue poſthâc;
Hoc opus eſſe hominum, non opus eſſe Dei?

BENEDICTO XIV.

PONTIFICE ELECTO,

AD CIVITATEM BONONIENSEM.

EPIGRAMMA III.

HEroum genitrix, generosa Bononia, cujus
  Munere nunc gaudet PRINCIPE Roma suo,

Cui priùs? immensis resonat dum plausibus aer;
  Orbi Terrarum gratuler, annè tibi?

Utrique: Orbi Terrarum, & tibi gratulor; Orbi
  Pro tàm præclaro PRINCIPE, quo fruitur;

Et tibi, quòd Cives habeas diademate dignos,
  Et veluti natos Orbis ad imperium.

Donari haud poterat majori PRINCIPE Mundus;
  Nec tu Cive potes nobiliore frui.

BENEDICTO XIV.

TEMPLIS S. CRUCIS, ET S. MARIÆ MAJORIS MUNIFICENTISSIME INSTAURATIS,

EPIGRAMMA IV.

VIx triplici emeritam decoras diademate frontem,
Sumis & Imperii fræna regenda manu,

Divini cultus quòd prima, ac maxima SUMMI
Cura SACERDOTIS debeat esse, doces.

Templorum eximio renovas hinc atria sumptu,
Et nitido, ac sculpto marmore nobilitas;

Sive vetustatis facie, & squallore remoto,
Templa novum, o PRINCEPS, in decus ire jubes.

Imperium ò felix, quod fausta exordia summâ
In Deum, & in Superos à pietate trahit.

BE-

BENEDICTUS XIV.

PUBLICIS ASSISTIT SUPPLICATIONIBUS, QUAS PESTE, AC BELLO ITALIAM MINITANTIBUS INSTITUERAT.

EPIGRAMMA V.

Cum miseram Italiam metuendo armata flagello
  Justa peragraret vindicis ira Dei;

Innumera hinc hominum, occulto consumpta veneno,
  Corpora dira lues sterneret ante diem;

Hinc fragor armorum, clangor, strepitusque tubarum
  Argumenta metus adderet Italiæ;

Non solùm lubuit frangendæ Numinis iræ
  Ritu solennes instituisse preces;

Supplicis in morem, ac humili TE vidimus ore
  Hasce Urbis, PRINCEPS, ire, redire vias,

Atque inter lacrimas, inter suspiria Romæ
  Pro grege commisso fundere vota Deo.

Oh amor! oh pietas præclari PRINCIPIS, unde
  Parta salus nostræ forsitan Italiæ.

BENEDICTUS XIV.

In iis, quæ ad proprium uſum pertinent, ſummopere parcus; in iis, quæ ad ornatum Urbis, & Populorum utilitatem, munificentiſsimus.

EPIGRAMMA VI.

REgia quantumvis exhauſta æraria, damna
Urbis, & Italiæ publica reddiderint,

Comples incœptos urbana in commoda Fontes:
Eximiis Urbem molibus amplificas:

Hoſpitia Ægrotis auges: Capitolia ditas
Marmoribus: renovas Atria, Templa, Vias.

Hæc tamen ut præſtes, TIBI plurima detrahis uni,
Sumptu contentus vivere vel modico.

Plura TIBI è Mensâ, è famulatu plurima, & aulâ;
Plura TIBI è pompâ detrahis Imperii!

Atque ità debuerant quæ commoda PRINCIPIS eſſe,
Urbis deliciæ, & commoda ſunt Populi.

BE-

BENEDICTI XIV.

JURIS SCIENTIA.

EPIGRAMMA VII.

QUæ Tu ſcripſiſti tranſacto aut tempore, PRINCEPS,
Aut modò, Terrarum çum regis imperium,

Si quis, ſervato rerum ordine, cogat in unum,
Diſponatque ſuis quæque voluminibus,

Et mox præſidium Juris quodcumque vetuſti,
Legum, Decreti, Codicis amoveat,

Illa gubernandis Populis, certâque regendis,
Sub lege Imperiis arbitror eſſe ſatis;

Immò quod obſcurum antiquis in legibus eſſe,
Sive in Decreto, aut Codice comperio,

Hìc, dubio quovis ſenſu, incertoque remoto,
Perſpicuum, facile, ac clarius invenio;

Ut, quandò lubeat, quæ, præſtantiſſime PRINCEPS,
Scripſiſti, Juris dogmata conſulere,

Erroris nullus poſſit timor eſſe deinceps,
Nullus & ambiguis ſenſibus eſſe locus.

BENEDICTO XIV.

XENODOCHIO S. SPIRITUS REGALI SUMPTU AMPLIFICATO.

EPIGRAMMA VIII.

Dum vetera eximio reparari Templa labore,
Et cultu ornari ſplendidiore jubes,

Quâ pietate Deum, ceu SUMMUS in Orbe SACERDOS,
Quâve colas Superos religione, probas

Molibus erectis quandò ſublimibus Urbem,
Fontibus, & ſculpto marmore nobilitas,

Munifici documenta animi ſublimia pandis,
Et grande auguſti PRINCIPIS ingenium;

At cùm Pauperibus, curâ majore locandis
Hoſpitia exornas, perficis, amplificas,

Non ſolùm hic pietas, hic munificentia ſplendet;
Sed Roma hinc, PRINCEPS, te probat eſſe PATREM,

Cunctaque, quæ peragis, comples hìc munera, SUMMI
Nempè SACERDOTIS, PRINCIPIS, atque PATRIS

IN IDEM ARGUMENTUM.

EPIGRAMMA IX.

Quicumque hùc Hoſpes poſtremo accedis ab Orbe,
  Altis tranſactis Alpibus, atque Mari,

Hanc ſpecta molem: grande hìc, inſigne, perenne
  Romanæ exemplum religionis habes.

Non hæc Principibus, noſtram inviſentibus Urbem,
  Regali aut natis ſanguine conſtruitur:

Paupere pro turbâ pietas hos PRINCIPIS auget
  Uſque ad delicias, nobilitatque lares.

Mox Patriam repetens, narra, quos ſervet in uſus
  Aurum, & opes noſtri PRINCIPIS ingenium.

BENEDICTI XIV.

FREQUENTIA AD SACRA TEMPLA.

EPIGRAMMA X.

Sive truces efflet furibunda Canicula flammas,
Frigidus aut Boreas, & fera regnet hyems,

Quin peragendarum retrahat te maxima rerum,
Immensa ac moles, ad Sacra Templa volas.

Hic ad adorandi prostratus Numinis aram
Devoto puras fundis ab ore preces,

Exemploque TUO, quo Templa invisere cultu,
Quâ summâ deceat religione, doces.

Sic totum sanctis non solùm legibus Orbem,
Exemplo, PRINCEPS, & pietate regis.

BENEDICTUS XIV.

QUINQUE BEATOS SANCTORUM FASTIS ADSCRIBIT.

EPIGRAMMA XI.

Cum Vaticani TE, PRINCEPS MAXIME, Templi
  Majorem ante aram ſurgere conſpicio,

Et nova ſolemni ritu, cultuque beatis
  Addere Sanctorum nomina Coelitibus,

Quæ data PONTIFICI fuerit ſuprema poteſtas,
  Majeſtas, decor, & gloria, comperio.

Cætera cùm præſtas, Populos, & Regna gubernans,
  Commune exerces Regibus imperium;

Cùm Divos addis Coelo, dominaris & aſtris,
  Supplèſque in Terris jura, viceſque Dei.

BENEDICTUS XIV.

IN QUIBUSCUMQUE CONTROVERSIIS IN QUALIBET MATERIA, ET UBICUMQUE LOCORUM DIRIMENDIS VIGILANTISSIMUS.

EPIGRAMMA XII.

Nulla eſt tàm diſtans Regio, licèt ultima Mundi,
Montibus, immenſo diſſita & Oceano,

Cui præſens animo non ſis, cui, MAXIME PRINCEPS,
Non ſis doctrinæ lumine præſidio.

Omnia TU reparas, amplecteris omnia, quin TE
Aut rerum retrahat copia, ſive labor.

Aut circà ſacros ſit controverſia ritus;
Aut circà mores, dogmata ſeu fidei,

Providus accurris, veneranda oracula pandis,
E Juris certis eruta principiis.

Claraque doctrinæ diffundens lumina, ſenſim
En tenebras, inſtar Solis, ab Orbe fugas.

BE-

BENEDICTI XIV.

IN DISTRIBUENDIS MUNERIBUS JUSTITIA.

EPIGRAMMA XIII.

TErrarum Imperii TE, PRINCEPS, fræna regente,
Sola eſt, quæ donet præmia, Juſtitia.

Nil favor hìc, ſanguis partem hìc non obtinet ullam,
Non hìc alterius gratia, & officium.

Qui virtute præeſt, merito qui fulget, honores
Solus hic, hic ſolus munera conſequitur.

Si juſta hæc methodus donandi præmia conſtans
Quovis perpetuò fiat in Imperio,

Creſcere virtutis ſpectabis ſemina, & inde
Firmas ſtare Urbes, Regnaque, & Imperia.

AD

AD ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM BONONIENSEM.

EPIGRAMMA XIV.

ILle, cui Superûm, veneranda Ecclesia, dono
  Juncta sacri fueras fœdere conjugii,

Quamvis tergemino præcingat tempora serto;
  Evectus summi culmen ad Imperii,

Quam tibi promisit, supremos inter honores
  Servat adhùc stabili mente, animoque fidem.

Hæc SPONSI præclara fides decora omnia complet;
  Teque immortali nomine nobilitat,

Gloria quin possit reliquis accedere posthâc
  Splendidior titulis, Sponsa decora, tuis.

Roma inter duos exercitus incolumis
PRINCIPIS vigilantiâ.

EPIGRAMMA XV.

ARmatas volitare acies ad moenia Romæ
Vidimus Hiſpanas, vidimus Auſtriacas;

Armorum auditi ſtrepitus, clangorque virorum,
Atque laceſſentes ad fera bella tubæ.

O quæ tunc ſpecies Urbis! quæ triſtis imago!
O quàm ſolliciti plena timoris erat!

At nihil eſt, ſummo licèt in diſcrimine rerum,
Tantoque irarum in turbine, quod metuas.

Erige, Roma, caput; tibi namque æquale periclo
Dant Superi Auguſto in PRINCIPE præſidium.

In quatuor libros de Canonizatione Sanctorum
à BENEDICTO XIV. editos.

EPIGRAMMA XVI.

INter Romanæ majora negotia Sedis
  Immensi sanè ponderis esse reor,

Cùm nova Sanctorum Cœli superaddere fastis,
  Sive Beatorum nomina contigerit.

Hanc rem quàm cautè, quàm longo examine, summâ
  Et quâ tractari sedulitate decet.

At postquàm digesta TUIS, DOCTISSIME PRINCEPS,
  Tanta est doctrinæ luce voluminibus,

His ducibus, facili cursu, ac breviore deinceps
  Ire per hunc vastum possumus Oceanum.

BENEDICTUS XIV.

LABORIBUS ASSIDUUS.

EPIGRAMMA XVII.

Postquàm Terrarum redimis diademate frontem,
Quid trahis, ò PRINCEPS, Orbis ab Imperio?

Te curis septum video, æternoque labore;
Non vacat ulla dies, hora nec ulla vacat.

Vix locus est inter peragenda negotia somno,
Aut Mensæ, quamquàm hæc sobria, & ille brevis.

Unam vix dirimis, nova controversia surgit:
Uno expleto, alter nascitur ecce labor.

Perpetuò aut dictas, aut scribis dogmata Juris,
In Mundi vigilans commoda perpetuò.

Ergò, si vitæ rationem computo, Mundi
Postquàm sumpsisti sceptra gerenda manu,

Solùm ex Imperio TIBI, PRINCEPS OPTIME, servas,
Quod cura, & labor est, pondus & Imperii,

In quatuor Academias de Conciliis, Sacris Ritibus, Historia Ecclesiasticâ, & Romanâ in Palatio Apostolico à BENEDICTO XIV. institutas.

EPIGRAMMA XVIII.

SI studiis ornandi animum sublimibus ulla
Cura tibi est, aulam PRINCIPIS ingredere;

Scilicèt in Cathedram doctrinæ transiit aula
PRINCIPIS, & plura hìc, quæ docearis, habes.

Seu quidquid fuerit sancitum à Patribus olim
Per veteres Canones, priscaque Concilia;

Seu quos servarit primæva Ecclesia ritus,
Et quos hæc usque ad tempora servet adhùc;

Quidquid & in sacris memorandum Annalibus extat,
Romana & quidquid continet historia.

Optimus hæc siquidem sibi PRINCEPS otia fecit,
Quandò à majori fortè labore vacat.

Providus hæc aliis etiam fieri otia curat:
Otia digna Sacri PRINCIPIS ingenio.

BE-

BENEDICTUS XIV.

Non solùm in Palatio Apostolico, quandòque in publicis etiam Urbis Ecclesiis sacris Concionibus interfuit.

EPIGRAMMA XIX.

Nulla Quirinali dicta est Sacra Concio in æde,
Cui præsens, PRINCEPS OPTIME, non fueris;

Idque parùm fortasse foret: quandòque vel Urbis,
Raro utique exemplo, publica Templa petis;

Non addiscendi studio, TU namque Magistri
Orbis supremo fungeris officio;

Sed, quanti facias Divini semina Verbi,
Subjectas Urbes, Regnaque ut edoceas.

Ergo quid intersit Sacros audire Ministros,
Discite ab exemplo PRINCIPIS, ò Populi.

BENEDICTO XIV.

EPIGRAMMA XX.

AUGUSTE ò PRINCEPS, vix lustrum computo, & annum,
  Lapsa TUI Imperii tempora si numero.

At regnasse diù TE dixerit, ardua quæque,
  Et quæ scripsisti plurima, qui reputet.

Pluribus Imperiis satis hæc, sat pluribus essent
  Æterno ornandis nomine Principibus.

Quòd si dent Superi TE vitæ attingere metas,
  Quas Romæ, ac Orbis publica vota rogant,

Tàm claro explebis doctrinæ lumine Terras,
  Quà Sol occumbit, quàve resurgit aquis,

Ut tandèm det victa manus, TEque ante recumbat
  Hæresis, atque comes dira superstitio.

Hoc Superi immortale decus, Fideique triumphum
  Servavere TUO forsitan Imperio.

BE-

BENEDICTO XIV.

In fausto, felicique reditu in Urbem die 27. Junii 1746.

CARMEN.

MOEnia Romulidûm, TUA, PRINCEPS, mœnia faustis
Ingredere auspiciis; si non TIBI destinat arcus
Roma triumphales; si, TE redeunte, vel ære,
Aut auro statuas, puro vel marmore fictas
Non locat ante vias, Populorum in amore perennis
Nobiliora TIBI statuit monumenta triumphi.
Aspice quo vultu, qui publica gaudia præfert,
Quo desiderio nuptæ, innuptæque Puellæ,
Et Pueri, & Matres, Proceres, Juvenesque, Senesque
PRINCIPIS ora sui spectant redeuntis, eumque
Ore, manu, ac hilari venientem voce salutant.
Namque TUI, PRINCEPS, quis non raperetur amore,
Cujus in Imperio partem non obtinet ullam
Seu caro, seu sanguis, sed honestas, divaque virtus,

Re-

Recti amor, ac ſtudium, regalis & arbitra cordis
Juſtitia, æquali quà poſſis præmia dextrâ
Dividere, ac pœnas. Triplici diademate frontem
Munere vix Superûm decoras, TE vidimus omni
Intentum ſtudio, aſſiduiſque incumbere curis,
Ut Sanctæ auguſtum firmares limite certo
Juſtitiæ imperium; leges ſancire: vetuſtis
Addere decretis robur: diſſolvere claro
Res dubias doctrinæ fonte: extrudere abuſus;
Et Canonum veros Sacrorum exponere ſenſus;
Ut ſi fortuitò Decretorumque, Patrumque,
Cæſarei ac Juris, Legumque Volumina, quotquot
Ritè gubernandis Populis congeſta videmus,
Aut flammis incenſa, aliâ ſeu clade perirent,
Nil tamen, uno TE ſalvo, atque ſuperſtite, PRINCEPS,
Nobis deficeret; TU poſſes publica damna
Præſidio inſtaurare TUO, TU reddere Leges;
Cunctaque Divino, humano ſeu condita Jure,
Decreta, & Canones, in TE ſervata manerent.
Iſta lubens repeto; nec enim mihi inurere turpe
Crimen adulantis, vero aut majora loquentis

Un-

Unquàm quis poterit; si quis tamèn audet, ad Urbem
Hanc ego, ad Europam, ac extremum provoco ad Orbem,
Cujus pars nulla est, quò pervenisse negabit
Doctrinæ præclara TUÆ monumenta, disertis
Tradita seu chartis, seu vivâ prodita voce.
Cætera quid memorem, quamvis sint plurima, quamvis
Maxima sint, ac immortali nomine digna?
Prætereo erectas in publica commoda moles:
Completos Fontes: celebrata, vetustaque Templa
Sumptibus immensis, summo decorata labore:
Instaurata TUIS exhausta Æraria curis,
Atque alia ejusdem generis, non infimus esset
Quæ numerare labor. Quamquàm hæc dignissima laude,
Pleraque sunt aliis etiam communia, PRINCEPS.
At regere Imperium, quin TE minimâ amplificandæ
Cura Domus tangat, TE tangat cura Nepotum,
Quò, vi Naturæ quâdam impellente, videmur
Vel non sponte trahi: Perfectè noscere Leges,
Decreta, & Canones, & quidquid continet ingens,
Immensumque Chaos; ac vasta scientia Juris,
Sunt decora hæc, quæ juncta simul cum nemine, PRINCEPS,

Di-

Dividis, aut saltèm paucis; trans æquora nomen
Immortale TUUM decora hæc, super æthera tollunt.
Salve ergò, & Romæ, extremique in commoda Mundi
Æternùm salve, ò PRINCEPS; TE purior aer
Ambiat, atque leves Zephiri; sine nube serenos
Ire dies videas, annosque, & lustra, diûque
Robusto vegetæ maneant in corpore vires,
Regalique TUA procul exulet omnis ab Aulâ
Morborum ingluvies. Superis has offero, PRINCEPS,
TE redeunte, preces, vota hæc justissima solvo.

FINIS.